

possit esse dubium, per nota per Bart. in l. 3. C. de munici-
cip. & orig. lib. 10. tamen videtur indubitabile, quando
vtra id, quod non sit natus, nihil in loco habet, nec ibi
commoratur, sed alibi domicilium perpetuum consti-
tuit, prout est casus noster. Igitur Doctor Salmant. fo-
rensis proprie est, & non oriundus civis, nec origina-
rius Episcopatus Placentini.

4 Quarto & ultimo in terminis, quod dicitur Do-
ctor non sit originarius, nec oriundus Episcopatus Pla-
centini, eo, quod mater ipsius in eo nata fuerit, proba-
tur ex text. expresso in l. filios. C. de munic. & orig. lib. 10. vbi
inquit text. filios apud originem patris, non in mater-
na civitate, etsi ibi nati sint (si modo non domiciliis re-
tineantur) ad honores siue munera posse compelli ex-
plorati iuris est, vbi Bart. notat, quod filius sequitur ori-
ginem patris, & non matris, nisi ex alia causa civitati
matris sit adstrictus: idem notat & tenet Ioan. de Pla-
tea ibi num. 1. & 2. idem etiam probat text. apertus in l. 1.
vers. sed & si ex patre. ff. ad munici. Vbi probatur, quod
filius ex patre Campano, & ex matre Puteolana sequi-
tur originem tantum patris, nisi forte privilegio aliquo
materna origo censetur: tunc enim materna originis
erit municipis, & ibi notat gloss. in verbo, parvulus.

5 Item & excipit text. ille vulgo questum, quia ille cum
non habeat aliam originem, quam sequatur, sequitur
materiam: Ergo per locum ab speciali, quod validum
est in iure, vt tradit bene allegans ad hanc d. l. ff. ad mu-
nic. & alia iura, Euerard. in cent. legal. cap. 62. a speciali,
cessante privilegio filius legitimus ex patre alterius E-
piscopatus, quamvis ex matre Placentina, sequitur ori-
ginem patris non vero matris. Cum igitur in nostro
casu non ad sit privilegium vllum, quo Doctor prædi-
ctus possit pretendere, sequi debere originem matris,
consequens est, vt patris tantum retineat, qui aliunde
est. Eandem etiam opinionem in terminis nostris le-
quitur & tenet Matth. de Afflic. dec. Neapol. 304. n. 3.
& Boer. dec. 13. num. 9. & Burges de Pace Hispan. in l. 3.
Taur. i. part. num. 375.

6 Neque & his obstat gloss. in d. l. filios, verb. non in ma-
terna, quatenus asserit, quod filius, licet non sequatur
originem maternam, vt maternam, ipsam tamen se-
quitur vt propriam, vt in d. l. originem, & in d. l. assumptio, in
prin. quia gloss. & iura, quæ allegat, loquuntur, quan-
do filius natus fuit in loco matris. Quo casu cum filius
sequatur originem propriam, sicut paternam, vt supra
est dictum, & in loco matris fuerat natus, merito quod
ibi sit oriundus: at vero dicitur Doctor non fuit natus
in loco, neque in origine matris, neque in aliqua parte
dicti Episcopatus Placentini, sed alibi extra; Ergo non
est oriundus ipsius.

7 Secundo & respondeo, quod gloss. illa procedit, quæ
do parentes ibidem constituerunt domicilium non ve-
ro si casu transeundo mater ibi peperit filium: ita Ioan.
de Platea in d. l. filios, num. 2. Matth. de Afflic. vbi supra,
qui pluribus id comprobat. Sed dicitur Doctor non
solum non fuit natus in dicto Episcopatu Placentino,
sed nec parentes ipsius ibidem domicilium constitue-
runt, sed mater cum esset puella alibi fuit perducta, &
extra Episcopatum prædictum fuit nupta, & coniugis
domicilium constituerunt & semper habuerunt extra
dictum Episcopatum.

8 Imo & vxor per matrimonium fuit effecta de foro &
origine viri, & desinit esse propria originis, vt in d. l.
origine, notat gloss. in prin. quam sequitur Bart. in l.
cum quadam puella, num. 2. ff. de iur. iudic. omn. iudic. & est
communis opinio secundum Ioan. Orosc. ibi, num. 1.
sequitur idem Orosc. in l. Senator, num. 1. ff. de Senator.
Non igitur potest dici oriundus Doctor præfatus Epi-
scopatus Placentini. Et quamvis glossa illa intelligit,
in quantum mulier possit retahi & separari a securitatis

viri, non vero quoad alia iura, iuxta tradita per Bart. in
l. fin. §. item rescripserunt. ff. ad municip. Platea in l. fin. nu. 2.
C. de incol. lib. 10. & Gregor. Lopez. in l. 32. tit. 2. part. 3. in
gloss. casamento: hoc tamen procedit in persona ipsius
vxoris, secus vero in eius filii legitimi, quia hi patris
non matris originem sequuntur ac retinent per omnia
supradicta.

Nec etiam obest doctrina Bald. consil. 122. incip. sta-
tuto civitatis Verone. & c. vol. 2. asserentis, quod statuta,
disponentia de non admittendis in collegium Docto-
rum, nisi sint ciues originarii, vel nisi habeant certas a-
lias qualitates, sunt benigne & non rigide interpretan-
da, ex quo nullius præiudicium versatur. Et sic videba-
tur admittendum fore dictum Doctorem Sal. ad di-
gnitatem dictæ Ecclesiæ, super qua litigatur, cum ma-
ter ipsius fuerit oriunda prædicti Episcopatus. Nam
respondeo, quod in proposito benigna interpretatio
etiam hoc non patitur, cum de iure filius legitimus nõ
fortiatur originem matris, nisi in ea natus fuerit. Item
statutum Ecclesiæ Placentinæ est in fauorem oriundo-
rum, vnde in coram præiudicium & damnum, nec al-
terius tertius acqulitum habentis in re, vel saltem ad
rem, retorquendum est contra regulam iuris, quod fa-
uorem, C. de legib.

SUMMARI A.

- 1 Oblationes & annuaria mortuorum, distributione
quotidiana & alia similia non computantur regula-
riter in congrua portione vicario alicuius Ecclesiæ af-
signata vel assignanda.
- 2 Nec etiam computantur in valore fructuum beneficii.
- 3 Hodie Bulla Sanctissimi Domini Nostri P. V. statu-
tum est, vt incerta emolumenta & alia obventiones
communiter percipi solita computentur in prædicta
congrua portione vicariis perpetuis assignanda a Pre-
latis.
- 4 Obventionis verbo supradicta omnia comprehen-
duntur.
- 5 Omnium emolumentorum appellatione supradicta
omnia continentur.
- 6 Idem a fortiori erit, si adiciantur verba, obventiones
& omnia emolumenta.

CONSILIVM VIII.

IN causa Capituli Complutensis aduersus quendam
Vicarium Ecclesiæ de Torrejon Toletanæ diocesis,
iustitia fouet prædictum Capitulum tribus potissi-
mum fundamentis atque rationibus: ideoque confir-
manda est sententia lata per iudicem a quo, in fauorem
dicti Capituli. Primo, & quia licet in congrua portione,
quæ Vicario alicuius Ecclesiæ assignanda est, vel est af-
signata, regulariter non computentur oblationes &
annuaria mortuorum, neque distributiones quo-
tidianæ, nec alia similia, præter ea, quæ habent rationem
sui beneficii seu vicariæ: quia supradicta omnia sunt
incerta, tam ex parte eorum, qui oblati sunt, quam
etiam ex parte ipsius Vicarii, quia incertum est, an Vi-
carius ipse intererit prædictis lucris, vel propter aduer-
sam valetudinem, vel aliam absentiam, vt bene tradit
Petr. Rebuff. in tract. congr. portione. & c. num. 83. & seqq.
fol. 104. & 105. Vnde & est, quod supradicta non compu-
tentur in valorem fructuum beneficii, vt docet idem
Rebuff. in tract. nom. quæst. 9. numer. 42. & seq. & Ioan.
Staphil. in tract. de gratis & expectat. in vers. nona firma,
num. 65. & seq. 14. vol. tract. diuersor. Doctor. fol. 17. & Ioan.
de Selua in tract. de benefic. in 3. part. prin. quæst. 12. num. 33.
& 34. vol. 15. tract. fol. 71. & Bartholom. Bellenz. in tract.
curat. subsid. quæst. 76. num. 1. & 2. vol. 15. tract. fol. 301.

In nostra tamen causa & lite hæc omnia compu-
tantur in congrua portione, quia adest Bulla Sanctissi-
mi Do-

mi Domini nostri Papæ Pii V. motu proprio concessa
Anno 1567. qua expresse statuit pro declaratione Con-
cilio Tridentini sess. 6. cap. 2. & sess. 7. cap. 5. & sess. 21. cap.
6. de congrua portione Vicariis perpetuis assignanda
arbitrio Episcoporum, loquentis. Qua Bulla Summus
Pontifex statuit, ne Prelati assignent prædictis Vicariis
perpetuis maiorem centum, nec minorem quinquaginta scu-
torum annuorum summam, computatis omnibus, etiam in
certis emolumentis, & aliis obventionibus communiter per-
cipi solitis. Quæ Bulla producta est; Ergo computanda
sunt dicto Vicario prædicta omnia in congrua portio-
ne & seruitio dictæ suæ Ecclesiæ. Et cum sit probatum
in processu, ascendere supradicta ad summam centum
scutorum, consequens est, vt nihil aliud eidem Vicario
assignari debeat iuxta supradictam Bullam, cum Sum-
mus Pontifex iubeat ea omnia computari, etiam si sint
incerta, & sic cesset ratio iuris communis, ob quam non
computabatur.

4 Secundo & principaliter: quia licet appellatione
fructuum alicuius beneficii non comprehendantur su-
pradicta, scilicet, oblationes annuaria: defuncto-
rum, & distributiones quotidianæ: & alia similia, vt su-
pra dictum est Si tamen adiciatur verbum obventionis,
prout in nostra Bulla continetur, ibi, & aliis obuentio-
nibus, bene comprehenduntur: quia est verbum genera-
le, vt tradit optime Boer. dec. 224. num. 5. dicens, quod
obventionis verbo comprehenduntur omnia, quæ ex fa-
cto hominis proueniunt, vt oblationes, funeraria, vel
quæ ex sigillo vel alio emolumento curie, beneficii, vel
ex redditu magno, vel paruo, & similia: igitur, & c. Idem
etiam tenet gloss. in cap. ad audientiam, el. primo. verbo,
obventiones, de Eccles. adificand. in vers. licet, & ibi Abb.
nu. 15. dicit, quod verbum, obventiones, est verbum mul-
tum generale, comprehendens omnes redditus cuius-
cunq; qualitatis sunt.

5 Tertio & probatur, quia in prædicta Bulla adest ver-
bum, omnibus emolumentis, quibus verbis supradicta om-
nia continentur & comprehenduntur: quia est ver-
bum generalissimum pro omni vtilitate ex re proue-
niente, vt tradit Boer. vbi supra, num. 6.

6 Quarto & a fortiori, quia si appellatione vniuersi-
usque verbi supradicti, scilicet, obventionibus omnibus
emolumentis, etiam incertis supradicta omnia compre-
henduntur, multo magis in nostro casu comprehen-
dentur, quia in dicta Bulla omnia supradicta verba si-
mul posita inueniuntur, scilicet, omnibus etiam incertis
emolumentis, & aliis obventionibus: quæ omnia verba si-
mul iuncta certiorum & plus manifestam reddunt ius-
ticiam dicti Capituli, & sine dubio.

SUMMARI A.

- 1 Dominus potest ratificare sententiam latam cum fallo
procuratore suo nomine, quando est contra dominum
lata, qui vult habere etiam in sui præiudicium, secus
si esset lata in sui fauorem.
- 2 Gestæ per procuratorem reuocatum regulariter ratifi-
cari non possunt: præterquam si actus, qui ratificatur,
tendat in præiudicium ratificantis, quia tunc bene po-
test ratificari.
- 3 Renuntiatio facta per dominum post reuocatum procu-
ratorem valet & tenet.
- 4 Gestum per falsum procuratorem in audientia Prin-
cipis non conualescit per ratificationem, & quomodo
hoc intelligatur?
- 5 Gestæ per falsum procuratorem dolose, scientem se non
habere mandatum, non possunt ratificari per domi-
num propter vitium obventionis.
- 6 Quoad esse gratie, scriptura, hoc est, expeditio literarum
non requiritur, sed statim, quod apponitur in suppli-
catione verbum fiat, vel concessum, vt petitur,

- 7 gratia est perfecta, que in sola supplicatione consi-
stet.
- 8 Dolum alleganti incumbit onus probandi eum.
- 9 Testi singulari deponenti de suo proprio facto, ex quo
nullum commodum reportat, magna fides danda est,
& non deest, qui dicat integram fidem ei esse dandam.
- 10 Unus testis deponens de ipso facto, & alii de confessione
extrajudiciali, simul iuncti integram fidem faciunt.

CONSILIVM IX.

DOMINUS labia mea aperiat, &c. Casus præsen-
tis consultationis est huiusmodi: Quidam Ioan-
nes quondam portionarius in Ecclesiâ Cathedrali
Placentina, portionem, quam habebat, sponte & liberè re-
signauit in manibus Summi Pontificis, & in fauorem al-
terius Ioannis, cui sanctitas sua virtute dictæ resignationis
gratiam dictæ portionis fecit. Postea dicitur Ioannes resi-
gnans, penitentia ductus, reuocauit mandatum a se datum
ad resignandum, cum que prædictus Ioannes postea cepisset
possessionem dictæ portionis virtute Bullarum expeditarum,
de consensu atque expressa voluntate dicti resignantis, ut
rum ipsam penitentiæ & conuenit in iudicio prædicti Ioan-
nis possessorem modernum super subreptione dictarum Bul-
larum, eo, quod non fuisset facta mentio dictæ sue reuocatio-
nis, que si facta fuisset, inquit ille, minime expeditur in-
iusta hylum praxim que Curie Romane, que habet, vt gra-
tia facta non solum effectum, quousque extendatur con-
sensus & Bulla expeditur, ita vt si reuocetur interim
mandatum a resignante post gratiam factam, & antequam
extendatur consensus, & literæ expeditur, gratia si nul-
la, & non possint nec debeant expediti literæ super ea, sicut
affirmat contigisse in proposito, quapropter petit ita declara-
re, & prædictam portionem apud se remansisse & remane-
re, esseque verum portionarium, & possessorem dictæ por-
tionis, non vero aduersarium: ac proinde ipsum expellen-
dum ac mouendum fore tanquam intrusum a detentione
iniusta dictæ portionis. Dicitur vero reus alia in sui fauorem
allegat. Quibus omnibus recte visis & consideratis re-
spondi de iure, absoluedum esse eum a prædicta peti-
tione actoris, imponendo huic perpetuum silentium
super ea.

Idque ex duobus capitibus. Primo, ob prædictam
resignationem liberam gratiamque Summi Pontificis
inde sequutam, & Bullas super ea expeditas: quo fit vt
iuste ac canonice possideat d. Ioannes, cui non obstat
reuocatio d. mandati & ad notatio ipsius reuocationis,
que dicitur facta in Cancellaria Apostolica in libris Cam-
meræ antequam supplicæ & consensus dictæ resigna-
tionis mitteretur ad registrum & literæ expeditur.
Quod videtur constare ex instrumento quodam con-
fecto in Romana Curia producto in processu vbi asse-
ritur, quod dicta reuocatio fuit facta, & in libris Cam-
eræ adnotata 12. die mensis April. Anni 1567. & alio in-
strumento etiam producto, quo constat, supplicam dic-
tæ resignationis fuisse missam ad registrum 24. die mensis
Maii statim sequentis eiusdem anni. Producitur etiã
quædam summaria probatio sine parte facta Romæ di-
cti styli, & praxis Romanæ Curie, de qua supra in e. hu-
ius consil. est dictum, quibus videbatur fundata intentio
dicti actoris. Sed non obstat inquam: quia totum con-
trarium constat eisdem Bullis productis sub data 8.
idus Nouemb. anni 1566. Et consensus dictæ resigna-
tionis fuit præstitus eadem die, vt constat a tergo dicta-
rum literarum, quibus standum est, cum sint authenti-
cæ & habeant solemnitatem debitam & consuetam, &
careant omni defectu & suspitione. Itaq; manifeste cõ-
stat, consensum d. resignationis, expeditionemq; Bul-
larum fuisse anteriores, quã mandatum ad reuocandũ
datum a d. resignante, cuius data fuit Placetiæ de men-
se Februarii anni sequentis 1567. & multo priores data

dicte reuocationis, & adnotatione ipsius in libris Cameræ, quæ, vt supra est dictum, fuit duodecimo die mensis Aprilis dicti Anni 1567. Instrumentumque Summi supplicationis, quo actor nititur probare Missam supplicationis, vel datæ picula fuisse in mense Maii dicti anni 1567. nõ facit fidem in iudicio, maxime aduersus continentiam datæ dictarum Bullarum. Præcipue attenda probatione rei super stylo, vsu & praxi Romana signandi supplicas, quæ habet, consuetum esse eiusdem resignationis beneficii signari plures supplicas: & quod quamuis omnes sint vnius resignationis, possunt haberi diuersas missas ad registrum, quæsdã anteriores aliis, idq; ex causis, quibus expeditores mouentur: & quod ita sit quotidie. Quo sic existente & attenda data dictarum Bullarum priore dicta reuocatione, liquet manifeste, quod quamuis instrumentum productum a dicto actore Missæ ad registrum sit verum: non tamen literæ fuerunt expeditæ virtute d. Missæ, sed alterius factæ & Missæ ad registrum mense Nou. Anni 1566. Quandoquidem tunc expeditæ fuerunt Bullæ, vt ex earum data constat, quibus maior fides danda est, quã dicto asserto instrumento: maxime, cum hoc modo redeantur ad concordiam, & non sint contraria. Quo fit, vt minus noceat reo alterum instrumentum ab actore productum circa probationem dicti styli & praxis Romanæ: de quo in prene. huius consil. meminimus, cum sit factum sine citatione partis: item cum reuocatio fuerit multo post expeditionem literarum facta. Et hoc est primum caput, totum consistens in facto, quo excluditur dictus actor.

Secundum caput, quo iustitia dicti rei munitur, dato, non tamen concessio, quod prædicta reuocatio facta fuisset, loco, tempore & casu, quibus dictus actor asserit est ratione consensus, approbationis & ratificationis sæpe præstiti ab eodem tacite & expresse verbis & facto post dictam reuocationem, vt dicto reo conferretur dicta portio, atq; in ipsius realem possessionem induceretur, vt ex actis causæ constat. Nam coram iudice Apostolico, cui commissa fuit exsequutio literarum dictæ gratiæ, comparuit dictus actor & scripto confessus fuit, se resignasse dictam portionem in fauorem dicti rei: volebatq; & petebat, vt possessio dictæ portiois daretur dicto Ioanni. Insuper promisit, se non contrauenturum vllo vnquam tempore: idemq; præterea sæpius dixit atque significauit postea post dictam suam reuocationem. Quibus sic exstantibus potuit iure optimo dict. Ioannes nunc actor in sui præiudicium ratificare atq; approbare expeditionem prædictarum Bullarum, quamuis facta fuisset a procuratore reuocato, vt ipse actor asserit, idq; ex sequentibus.

Primo, ¶ quia dominus potest ratificare sententiam latam cum falso procuratore suo nomine, quando est contra dominum lata, qui vult habere ratam in sui præiudicium, secus si esset lata in sui fauorem: & ita intelligenda est l. 3. §. falsus, ff. rem rat. hab. vt tenet Bart. in d. si reor, m. 3. C. in quib. caus. in integ. restit. non est necess. Eandem opinionem, quod dominus possit ratificare gesta per procuratorem falsum in sui præiudicium siue ante sententiam siue post, tenet Rota decis. 1. & 10. de procur. in antiq. vbi ad idem allegatur Innoc. in c. ex parte decani, de rescript. idem etiam tenet & probat late Guid. Pap. decis. 30. per tot. Et num. 3. addit, se vidisse in curia Parlamenti tolerari indistincte ratificationes sententiarum, siue pro ratificante fuisset lata sententia, siue contra eum, & quod ita etiam communiter pertranseunt alii iudices inferiores patriæ Delphinatus ex quadam equitate, & quod hanc partem sequitur Angel. de Aret. post Cuman. qui dicit, quod est communis opinio in l. si non obtulit, ff. de res. vendic. Eandem quoq; sententiam plures allegans testatur communem esse Sebast. Vant.

de nulli. process. & sent. c. qualiter sententia & processus, qui dicuntur nulli, defendi seu repar. post. nu. 102. fol. 608. & seq. sequitur etiam Cassiod. decis. 40. super reg. Cancell. nu. 2. & 3. fol. 66. vbi inquit, quod dicta decisio Rota est in viridi obseruantia, & quod ab ea nullo modo est recedendum in consulendo & iudicando, quicquid alias dicat Felinus.

Secundo, ¶ magis in specie probatur, quia licet gesta per procuratorem reuocatum regulariter ratificari non possint, vt tradit Felin. in d. cap. ex parte decani, nu. 25. de rescript. id tamen intelligi debet, præterquam si actus, qui ratificatur, tendit in præiudicium ratificantis: quia tunc bene potest ratificari secundum Speculat. tit. de defensor. §. 1. Innoc. in cap. mandato, ad fin. de procur. sequitur idem Felin. in d. num. 25. & Angel. in §. præiudiciales, num. 4. de ali.

Tertio, ¶ facit dictum eiusdem Felin. in d. cap. ex parte decani, num. 16. vbi tenet, quod si dominus post reuocatum procuratorem renuntiet, valet & tenet eius renuntiatio. Ergo ita & eodem modo poterit consentire, approbare & ratificare renuntiationem factam per suum procuratorem reuocatum, cum vtrumque procedat ex solo ipsius domini consensu.

Nec ¶ obstat, si quis obiciat dictum Baldi in l. falsus, num. 9. C. de furt. vbi dicit, quod factum per falsum procuratorem in audientia Principis non conualescit per ratificationem, c. ex parte decani, ibi per Innoc. de rescript. propter vitiū obreptionis, quia est valde detestabile in audientia Principis, & ideo puniendum. Sed si aliis inferioribus iudicibus obreptur: siquidem re & confilio, dicunt quidam quod non potest ratificari, nisi in præiudicium ratificantis: Sed si bona, scilicet, fide, bene potest ratificari, etiam circa suum præiudicium, vt in l. mater, §. hoc iure, ff. de except. rei iudic. gloss. fin. & in d. l. si tutor, per Cynum. Nam si non potest ratificari factum procuratoris reuocati, vt in l. dispensatorem, ff. de solut. nisi in præiudicium ratificantis: Igitur multo minus ratificabitur factum procuratoris funditus falsi. Hactenus Baldus. Ergo ita in proposito videtur dicendum.

Nam huic dicto Baldi, ne obstat, multipliciter potest responderi. Primo, quod licet aliqui legistæ teneant dictum illud, nimis tamen restringit regulam l. licet, ff. de iudic. & d. l. 3. §. falsus, ff. rem rat. hab. quæ habet, dominum posse ratificare gesta per falsum procuratorem. Et ita ex hoc fundamento contra Bald. tenent Abb. Cardin. Imol. in cap. nonnulli, §. 1. & ibi Felin. num. 39. & seq. præcipue 41. de rescript.

Secundo respondetur, quod loquitur in procuratore omnino falso, qui non habuit mandatum saltem speciale ad impetrandum rescriptum: quia tunc proprie est vitiū obreptionis, & non potest ratificari, quia est funditus falsus procurator. Et hoc casu expresse loquitur text. in d. cap. ex parte decani, & in d. cap. nonnulli, §. 1. & vtrique Doctores, & Bald. etiam in d. l. falsus, non vero loquitur in gestis per procuratorem reuocatum.

Tertio respondetur, quod dictum illud Baldi tantum abest, vt non solum contra reum non faciat, imo pro eo & in ipsius fauorem sit expressum: quia loquitur & intelligitur Baldus, quod non possit ratificari factum per procuratorem falsum in audientia Principis, in fauorem, scilicet, reuocatis, secus vero in ipsius præiudicium, vt in præsentis nostro casu, vt ipsemet Baldus ibidem declarauit, dum dixit: Sicut non potest ratificari factum procuratoris reuocati, vt in l. dispensatorem, ff. de solut. nisi in præiudicium ratificantis. Ergo bene potuit dictus Ioannes approbare & ratificare expeditionem Bullarum factã a suo procuratore licet reuocato, cum hoc sit in suum præiudicium, non vero in fauorem. Ita etiam

etiam intelligit dictum illud Baldi in l. 3. §. si procurator, num. 10. ff. quod quisque iur. & c. est de mente Curt. in l. vbi dicitur, num. 11. Ita tenet & limitat expresse idem Ias. in l. si procurator falsus, num. 1. ff. de condic. caus. dat. Quæ limitatio probatur ex fundamentis supra adductis in fauorem dicti Ioannis rei, & per text. quem sic intelligunt Dd. vbi supra, in d. l. 3. §. procurator, ibi, vel ratum habuit, ff. rem rat. hab.

¶ Quinto ¶ intelligitur dictum Baldi per doctrinam iusdem Baldi in l. Iulianus, col. vlt. vers. ego dico, quod ista ratio, ff. qui satisdare cogant. vbi inquit, se audiuisset Bart. dicentem, quod si quis falso & dolose allegauit mandatum in iudicio, sciens se non habere mandatum, tunc gesta per eum nõ possunt ratificari per dominum propter vitiū obreptionis, vt in l. si quis obreptur, ff. de fals. Aut vero bona fide asseruit se procuratorem, id credes ex iustis causis, prout contingit in nostro casu, quia procurator ad resignandum dictam portionem a dicto Ioanne nunc actore, vere & realiter habebat mandatū speciale ad id & ignorauit eius reuocationem, quando resignauit, imo id temporis non erat facta. Et quamuis tempore expeditionis Bullarum facta fuisset, quod nõ conceditur, nam contrarium constat per datas Bullarum & reuocationis, vt supra dictum est, eam tamen ignorauit procurator, quia ipsi nunquam fuit intimata, & sic expedit bona fide. Quo casu quando procurator bona fide allegauit se procuratorem esse, id credens ex iustis causis, potest ratificari factum per eum. Et hanc doctrinam Bald. sequitur Alexan. consil. 32. num. 4. lib. 1. & Felin. in d. cap. nonnulli, §. 1. num. 39. & 41. & Sebast. Vant. vbi supra. Idq; etiam in fauorem ratificantis, vt constat ex supradictis Dd.

¶ Item ¶ in re hac in fauorem dicti rei summopere est aduertendum, gratiam fuisse factam a Summo Pontifice ante prædictam reuocationem, & sic fuit perfecta. Nam quamuis ad probationem in iudicio faciendam requiratur expeditio literarum, & non possit iudicari iuxta formam supplicationis non expeditis literis, vt in regul. Cancell. de non indicando iuxta formam supplicationis, sed literarum expeditarum: attamen quoad esse ipsius gratiæ, non requiritur scriptura nec expeditio literarum: sed statim quod apponitur in supplicatione verbum, fiat, vel, concessum, vt peritur, gratia est perfecta, quæ in sola supplicatione consistit, vt late probat & tenet alios allegans Gomez. in d. reg. Cancell. de non indicando, & c. quæst. 1. per tot. & sequitur alios allegans Cassiod. decis. 35. per reg. Cancell. num. 2. fol. 57. & Rebuff. in praxi benefic. in 2. part. signat. num. 15. 16. & 17. fol. 150. & 151. vbi dicit, quod magna Curia Mediolanensis iudicauit, quod postquam Rex consensit alienationi feudi per verbum, fiat, postea hoc non potuit reuocare, etiam per literas sigillatas, secundum Matth. de Afflict. quem refert. Cum igitur hoc ita sit, & constet, quod gratia dictæ portiois fuit facta & perfecta, antequam prædicta reuocatio fieret: consequens est, vt gratia supradicta fuit, & est valida, & nullum defectum patitur falsitatis seu obreptionis vel subreptionis, neque aliquem alium, & quod fuit impetrata per legitimum, verum & speciale procuratorem non reuocatum. Et licet aliquis defectus fuisset in expeditione Bullarum, dato, sed non concessio, quod eo tempore esset iam facta prædicta reuocatio, defectus hic nihil nocet, quia iam perfecta erat gratia, & non deficit in substantia ipsius, sed tantum in forma probatoria, hoc est, in prædicta expeditione, quæ est actus extraiudicialis, & potuit ratificari postea per ipsum dominum constituantem in sui præiudicium, prout fuit factum. Quandoquidem potuit ipse renuntiare asserto stylo, quem prætendit pro se inductum, scilicet, quod gratia facta non habeat effectum suum, antequam supplicatio mittatur

ad registrum, & literæ Apostolicæ expendantur. Nam præterquam quod prædictum styllum legitime non probauit, quia testes, quos Romæ super eo produxit, antequam lis hæc incoaretur, non sunt reproduci in plenario iudicio, & notoria iuris regula est, posse quem iuri pro se introducto renuntiare: potuit ergo a fortiori renuntiare stylo & consuetudini in sui fauorem inductis.

Præterea licet dictus Ioannes actor probasset legitime prædictum styllum, adhuc tamen nihil obfaret reo, quia deberet intelligi is styllum secundum ius & regulam Cancellariæ, hoc est, vt gratia egeat literis quoad sui probationem in iudicio faciendam, non vero quoad essentiam & perfectionem ipsius gratiæ. Quia statim, quod opponitur verbum, fiat, vel concessum, vt peritur, est perfecta gratia absq; literis & expeditione Bullarum, vt supradictum est: & iura iuribus sunt concordanda, vt sunt iura vulgaria: & per consequens gratia iam perfecta, mandatam reuocari non potuit respectu ipsius, ex iis, quæ tradit Rebuff. vbi supra, nu. 16. Quod si adhuc inisset aduersa pars, reuocationem fuisse alicuius momenti, imo magni, propter expressum styllum Curie Romanæ probatum, qui prædictam suppletionem nõ admittit, eliditur ipsius assertio ex approbatione expressa expeditionis prædictarum Bullarum & production ipsarum coram iudice Apostolico cum ipsius petitione & consensu, vt cõferretur d. Ioan. prad. portio, vt late probatum existit. Maxime, cum ipse reus antequam vteretur dictis Bullis in forma digna expeditis, eas tradiderit dicto actori, vt de eis ad libitum faceret, ipseque actor eas reddiderit reo, vt examen subiret, vt constat ex processu: posteaq; præfatus Ioan. resignans approbando prædictam resignationem actu expresso coram iudice Apostolico petiisset ab eo, vt possessio dictæ portiois daretur dicto Ioanni reo, promittens, se non contrauenturum vllo vnquam tempore. Iure igitur optimo non debet nunc admitti aduersus id, quod sua voce dilucide protestatus est, atq; id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere. Imo repellendus est arg. l. generaliter, C. de non num. pec. & reg. iur. Quod semel placuit, amplius displicere non potest.

Nec obstat allegatio aduersæ partis asserentis, prædictum actorem fuisse dolo inductum a reo ad prædictam approbationem & ratificationem faciendam: quia affirmatum fuit sibi ab eo, prædictas Bullas rectas esse siue venire, super quo præcipue fundat actor intentionem suam, quia id minime probauit.

Cum ¶ tamen probare teneretur, tanquam fundamentum suæ intentionis, vt in l. quoties, vers. qui doluit, ff. de probat. tradunt Bart. & Dd. in l. in illa, ff. de verb. oblig. & in c. auditis, de prescript. Et ad probandum dictum dolum, necessario requiri videbatur, vt probaretur in dicto Ioan. resignatario illo tempore scientia reuocationis ex tempore Romæ factæ, in superq; procuratorem constitutum ad resignandum, mala fide literas expeditisse: & quod sciens hoc d. Ioan. reus contrarium affirmasset dicto Ioanni resignanti eum inducendo ad faciendam præfatam approbationem: hic enim vere esset dolus, qui non probatur, nec probari potest. Et quamuis d. Ioannes reus affirmasset dictas Bullas rectas venire, hoc non erat dolus, nec aliqua peruersio, quandoquidem sunt rectæ, & ipse nesciebat styllum Romæ, quo dictus actor nititur, potuitq; cum ignorare, cum consistat in facto, vt in tot. tit. C. & ff. de iur. & fact. ignor. præcipue in l. 2. & l. regula est, ff. eod. Maxime, quia ex data ipsarum constat, recte expeditas fuisse: quandoquidem est multo prior, quam data prædictæ reuocationis. Sicque vere & sine aliqua cautela potuit id dictus Ioannes affirmare, quamuis postea dictus actor in hac lite probasset, rem aliter se habere circa missionem supplicæ ad registrum, cuius probatio, vt supradictum est,